

Johann Quistorp Ephraim Herlicius

Exercitatio Academica De Monachis

Rostochii: Kilius, 1658

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740015818>

Druck Freier  Zugang



R u Med 1658
Johann Quistorp
Ephraim Herlich

40 25

Συγ γω
Exercitatio Academica
De
MONACHIS,

Quam
Consentiente Facultate Theologica,

PRÆSIDE

JOHANNE QUISTORPIO,
SS. Theol. D. ejusdemq; P.P. & Ecclesiæ
Cathedralis Pastore

Sustinebit

EPHRAIM HERLICIUS,
Dantiscanus

In Auditorio Magno, horis matutinis d. 12. Junij
ANNO clæ lxx LIIx.



ROSTOCHII,

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.

ANNO M.DC. LIIx.

1658

Handwritten text on aged paper, including a faint rectangular stamp in the center.



DE MONACHIS.

§. 1.

Vivebantur olim *Μοναχοι* homines à cæterorum consortio segregati, & tacitam vitam in eremis, montibus ac speluncis, ne ab hostibus Christiani nominis ad supplicia miserè traherentur, degentes. Idem ut apparet ex *Novella quinta Justiniani*, Anachoretæ i. e. secessores à multorum consortio; Eremitæ, qui per desertæ oberrant, & Hescitæ nominati sunt.

Hanc ob causam *Hieronymus in Epist. ad Paulinum* scribit: Si cupis esse, quod diceris Monachus, i. e. solus, quid facis in Urbibus, quæ unquam non sunt solorum habitacula sed multorum.

§. 2. Eandem hanc Monachorum vocem à Græcis mutuam, Latini & Germani retinuerunt. Quam stultè quidam Monachum à *μόνος* i. e. unus & *κustos*, (voce ὀ græca,) quasi unus animæ custos sit: vel ex *μόνος εὐχή*, cum soli preces fundant, (sic autem omnes in obserato conclavi orantes mox Monachi evaderent,) dictum putent, apparet ex *Jacobo de Voragine in Aurea legenda*.

§. 3. Separati, ut diximus, quondam vivebant, usque adeo ut scribat *Theodoretus lib. 4. Hist. c. 28.* se novisse Monachum ὄνο. annorum spatio, nec locutum cum ullo, neque à quoquam conspectum fuisse. Et hi erant Monachi Eremitæ, quorum auctores modo hos, modo illos fuisse fingunt Pontificii.

§. 4. Male Enochum horum principem indignant. Aut enim *Bel-larm. de Monachis l. 2. c. 1.* Monachos dictos, quod à conjugii abstinere, & à parentum se consortio ac mundi hujus conversatione, fecernerent. Jam vero notum ex *Gen. V. 9.* Enochum in conjugio vitam transgisse ac liberos procreasse &c.

§. 5. Etiam *ἄγ. διὰ πᾶσιν* discrepant Nazaranī & hi Monachi; Illi votum præstabant de possibilibus, illi à vino plane abstinebant, illi comam aiebant, hominum consortio se haud subtrahebant, uxorati erant, meritum sibi nullum tribuebant, & votorum suorum Deum habebant assertorem. *Numer. VI.* Contraria de Eremitis & Monachis Pontificiis vera sunt, illi impossibilia vovent, illorum stomachi sunt ampliora Bacchi, ad instar ranarum Apocal. perpetuo sunt à Regum ac Magnatum latere. Et suo ficticio, cultu opera supererogationis vel quasi cudunt.

§. 6. Frustra nituntur exemplo nepotum Rechab. *Jer. 35. v. 6. & seqq.* Quos Monachorum nostrorum figurari gessisse commemorat *Hier. Epist. 13. ad Paulinum.* Sed notabilis hic iterum discrepantia inter illos & modernos Monachos, tam Eremitas quam Conobitas apparet. Illi erant solliciti circa res Possibiles, at Pontificij Monachi ad Impossibilia se obstringunt, quibus naturam post imperem offendunt. Non vinum bibebant, quod tamen quotidie est ad palatum Monachorum; Erant uxorati, qualem vitam religiosi claustrales abjurarunt, licet iis matrimonium sit Sacramentum. Hæc præstabant Rechabite ex amore erga parentem, at à Monachis cuncta ex voto fiunt.

§. 7. Elias non fuit Eremita Pontificius, ille non in Eremum concessit ex voto seu ex opinione excellentis cultus, sed Deo id mandante *1. Reg. 19. 4.* propter persecutiones mox vicissim redire iustus est ad Regem & Israelis Magnates. Si locus à consortio hominum remotus facit Monachum, Larrones & Venatores erunt quoq; tales? Si is est Eremita, qui ad tempus in eremis degit, erit & talis Hagar & omnes Israelitæ per quadraginta annos in deserto Arabiæ oberantes, Christus ipse? *Matth. IV. 1.* Eadem & Elisæi ac filiorum Prophetarum ratio fuit, quorum nemo se voto obstrinxisse legitur, nemo hominum consortio planè se subduxit.

§. 8. *Chrysofomus Homil. 1. in Marcum.* Sicut Sacerdotum principes sunt Apostoli, sic Monachorum princeps est Johannes Baptista. Quod intelligendum ratione alicujus tertii, in quo solum conveniunt. Vixit quidem Johannes in deserto, ubi tamen sparsim homines habitabant, sicut probavi in meo *Nebo.* Nec fugit consortia hominum sed potius crebrò ad populum dixit, quos & baptizavit. Imo ve-

lut novus

hinc novus Propheta omnia extraordinaria in Johanne fuerunt, nec cuiquam suum vitæ genus inculcavit. Diffiteri a. haud possum, Eszorum singularem vitam promovisse Monachatum.

§. 9. Primus inter Eremitas fuit Paulus Thebæus, teste Hieronymo in ejus vitâ. & Sabell. l. 2. c. 2. qui narrant, eum puerum quindécim annorum eremum introiisse, & per corvum ei per 60. annos quotidie dimidium panem adferentem sustentatum fuisse, nec ullum mortaliū præter Antonium nonagenarium, brevi ante mortem, anno ætatis centesimo decimo tertio eum vidisse, qui mortuum marri terræ demandavit. Hunc mox alii secuti, non Tyrannorum metu, sed pio zelo, quo sine impedimento rectius caelestia scrutari possent. Alii id fecerunt, ut philosophicis contemplationibus vacarent in silentio accuratius. Tandem aliis hoc vitæ genus placuit propter κακοχλιασιν, aliis, ut saltem sibi soli vivere possent.

§. 10. Sozom. l. 1. c. 12. rectè norat, Temporibus persecutionum in abdita secessisse loca multos, qui cessante persecutione, assueti huic solitariae vitæ, ibi permanserunt. Unde quod hi initio necessitate urgente fecerunt ac instituerunt, hoc alii mox in legem & consuetudinem verterunt. Omitto qui ex desperatione in solitudines concesserunt, quo pertinet proverbium: Desperatio facit vel militem vel Monachum.

§. 11. Sciant Religiosorum Eremitarum patroni. Eos hoc vitæ genere declarare, quam agrè pro Christo aliquid incommodi ferre poterint vel possint. Eos nec usui esse proximis ac Ecclesie. Quæ vitia nonnullos Eremitas tandem agnovisse commemorat Chrysostomus l. 1. de dignit. Sacerd. Sanè in eremis potius miseri tentationibus & ludibriis dæmonum expositi sunt, quam ut ibi vitæ æterna commodius quaratur. Unde & Thomas Aquinas religiosum solum & sine socio, nominavit Dæmonem solitarium. Attendant potius ad Dei vocem; Non est bonum hominem esse solum. Loth in malignâ civitate fuit iustus, in monte vero peccavit Syrach, Pontificiis Canonicus scriptor cap. 40. Melius esse duos conjunctos vivere, quam unum solum. Et Eccles. 6. 4. v. 10. Væ soli, si namq; ceciderit &c. Qui plura incommoda vitæ solitariae novisse cupit, eum remitto ad Scriptores pontificios, id ipsum affirmantes, quales sunt Alvarez de paz de vita spirit. l. 2. c. 24. & Julius Nigrenicus comm. Ascetico in reg. 43. Societ. Jesu.

§. 12. Sanè

§. 12. Sanè primi Eremitæ nihil diversum à fidelibus præter solitudinem & vitam austeriorem habuerunt. Ex *Cassiani* scriptis apparet eos sanctorum congregationes diebus Sabbathicis haud omnino dereliquisse. ²⁰Alia est ratio Eremitarum post persecutionum tempora, qui in solitudines, ex hypocrisis, superstitione s. desperatione concesserunt. Augustini plurimi sermones ad Eremitas non sunt. Augustini E. nihil probant. *Hieronymus* admirator Monachatus, varia in commendationem Monachorum scripsit, ac si jam ejus vestigia in V. T. reperiantur, quo saltem in Majori essent auctoritate apud alios *vid. Epist. ejus ad Rusticum*. Ipse in Eremitum concedens cor mundo abstrahere haud potuit: sicut fateatur ad *Eustoch. de cust. virg. Epist. 22*. Ego in eremo constitutus, putabam me Romanis interesse deliciis: Scorpionum sociis eram & ferarum, & sæpius tamen intererant choreis puellarum: pallebant ora jejuniis & mens desideriis aestuabat: in frigido corpore sola libidinum incendia ebulliebant. Alii ut novo huic vitæ generi auctoritatem majorem conciliarent, ejus originem ad viros sanctitate conspicuos retulerunt; sicuti versuti homines ad artes majori studio excolendas, à Diis illas profectas fuisse contendebant. *Philo* quoties Monachorum facit mentionem, toties Effros intelligit. Nec facile fides adhibenda Patrum scriptis, quia pleraq; limam & censuram Jesuitarum sustinuerunt; hocciæ est libros repurgare!

§. 13. Monachus à Pontificiis definitur, qui ad Christianam perfectionem per obedientiæ, continentiæ & paupertatis votum contendit. Tales autem non erant veteres Monachi, ut ex *Basilii regulis* & aliunde in aprico est. Sane nunquam otiosi reperiebantur, vel enim divinis contemplationibus intenti, vel labore manuum suarum, victum & amictum conquirebant, suffragante *Hieronymo ad Rusticum. Monachum*. His actionibus vitæ tempora transegisse Monachos adhuc Anno 506. refert *Synodus Agathensis cap. 56*.

§. 14. Nunc vero in splendidissimis cœnobiis summo in orie ac voluptate vivunt; quem corruptum eorum statum silentio præterire Ipse Pontificius *Trithemius Abbas Spânheimensis* haud potest in *Chron. Hirsang. fol. 6*. his verbis: Veteres olim Monachi cellas quidem mansiones humiles habebant & tenebrosas: sed eorum corde erant lucida valde in amore Dei. Nostri autem Ecclesias, cellas, domosq;

domosq; & omnes mansiones lucidissimas fabricant, sed corda eorum vitii & desidia plena, tenebrosa sunt.

§. 15. *Cardin. Bellarm.* Apostolos cœnobitici ordinis auctores declarat, quia illi ut hi, bona voluerunt esse communia *Ath. IV. 34.* sic juxta illum, quæ in uno tercio conveniunt, omnimodo idem sunt. Si bonorum communio facit Monachum, jam ante Apostolorum tempora, tales Pythagoræ discipuli & Platonis Reipubl. cives fuissent, qui optimum ejus esse Reipubl. statum pronuntiavit, ubi omnia sunt communia?

§. 16. *Cardinalis Baronius Tom. 3. p. 386.* Antonium constituit Institutorem Monachorum Cœnobitarum. Non autem præsumitur, Præceptorem ad aliud vitæ genus amplectendum instigasse discipulos, quam quidem ipse, semotus ab omni sive quotidiana conversatione humana, elegerat. Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum. Verum post quædam temporum intervalla, Eremitæ eum intelligerent illos in cœnobiis liberalius sustentari, & clericali ornatu affici posse, integris plaustris his claustris se includi passi sunt; & advolarunt, ut nunc amplissima Regna & Urbes Europæ, Asiæ, Africa & Orbis Novihis repletæ sint, sicut *Auberius Miræus de statu Relig. Christianæ per omnes terras, libri IV. ostendit.*

§. 17. Hæc Eremitis cum subolerent, mox Eustachius Ariano per Armeniani monasteria erexit apud *Sozom. l. 3. c. 14.* Eusebius Sec. 4to. Episcopus Ecclesiæ Vercellensis primus in occidente, monasteria in civitates introduxit, teste *Ambrosio Epist. 82. ad Ecclesiam eandem,* sicuti Basiliius circa eadem tempora in oriente fecerat. *Vincent. in spec. hist. l. 18. c. 82.* audacter scribit, de Pachomio Eremita Antonii discipulo, eum, præviâ informatione Angelicâ in insula Thabennensi, defuncto Constantino M. discipulos Monachos Cœnobiis s. Monasteriis ab initio, inclusisse, iisdemq; certas vivendi regulas præscripsisse. Hunc & supra nominatos Cœnobitæ auctores habent in cœnendis & erigendis cœnobiis, ac Monasteria intra urbium mœnia ubertim adornari curarunt, unde veluti ex Seminario Ecclesiæ eruditi, simul ac pii ad Ecclesiæ inserviendum in posterum protrudi possent.

Intro-

Introspectatur saltem *Epistola Basilii ad G. Nazianzenum de vita solitaria* quam Franc Philadelphus laetitate donavit: quæ luculenter satis ostendit monasticam veterem, ab omnibus superstitionibus puriorem fuisse.

§. 18. Qui aliqualem Antiquitatis Ecclesiasticæ habent noticiam, nobiscum fatebuntur, monasteria quondam fuisse Scholas, ubi Rector Abbas, reliqui Præceptores Scholastici dicti sunt, ex quibus Ecclesiæ seminaris prodibant Viri ad omnia utiles; cujus vestigia adhuc passim apparent, dum Ecclesiæ collegiatæ Monasteria, Germanis *Wünster* dicta sunt, propter Monasteria seu collegia vicina, ex quibus tanquam ex Scholis Studiosi ad munia Ecclesiastica sustinenda, protrahantur olim in publicum. At jam, quod dolendum, Monasteria erroribus & superstitionibus scætant, sicuti cheu, in nostras nunc scholas, quæ Seminararia esse debebant Ecclesiæ & Rerumpubl. vitia pl. irrepperunt, præter intentionem Fundatorum ipsarum Scholarum!

§. 19. Quapropter ut semper in promptu haberent, quos publicis officiis præficerent, religiosi divites, qui publica privatis præferebant, suis sumptibus multa & magnifica Monasteria extruxerunt. Quamvis sub Papatu propter alias vanas causas, magnos sumtus fecerint in hæc ædificia sacra, dum partim ad fecerunt persuasi de meritis operum, ut ibidem haberent Intercessores in promptu apud Deum. Cujus intuitu Osuvius Rex propter commissum homicidium, Monasterium splend. dissimum Engethlingi adornavit, ut ibi indes preces pro interfectore & occiso fierent, teste *Beda!* 2. c. 14. Dum partim potentes ac divites per dolosas apparitiones & adhortationes Monachorum excitati sunt, & in honorem ejus, qui quasi illis apparuerat, ædificaverunt Monasteria ab illius nomine sic dicta. Ne visum spectrum iis amplius nocere posset; ad exemplum hereticorum Veterum, qui rem divinam Deo & Satanzæ fecerunt, ut saltem misericordem Deum semper haberent propitium, item Diabolum, ne iis esset nocivus, &c.

§. 20. Hæc adhuc est facies rerum Ecclesiasticarum inter Romanos

mano-Catholicos: *verobis* contuberniis Monachos includunt; in Urbes, contra nominis sui professionem, commigrant, cum hoc prætextu, eam conversationem non multum abesse à solitudine, ejusdemq; quendam adhuc imaginem habere, fatente *Johanne Trit-hemio hom. 7. ad Fratres*. Ideò multos quoque Monachos per sylvas & montes dispersos in monte Cassino, seu Cassinensi cœnobio, & aliis Italiæ locis, ædificiis, à claudendo, Latinis Claustris, Germanis Klöster dictis, Benedictus Nursino Italus, inclausit, & quidem circa initium Seculi VI, eiq; conducibilis visum est, ut in iisdem ædibus habitarent & viverent, omnia haberent inter se communia, paupertatis, castitatis & obedientiæ votis obstringerentur; Hæc cum saperent prima fronte aliqualem pietatem, mox reperti sunt, qui amplissimâ dote Casinense cœnobium & alia Benedictinorum claustra locupletarunt *juxta Volat. l. 21.*

§. 21. Deinde Benedicti hujus ad Institutum, alibi quoq; alia monasteria institui cœperunt, in quibus omnibus observarunt regulas 73. capitibus inclusas Benedicti: Unde pro antiquissimis Monachis Benedictini habentur, nec ulli alicui ordini cedunt.

§. 22. Cum vero tandem à pietate priscâ Benedictini deflecterent, ac ipsum Benedictum veneno necare attentarent, ne ampliatam rigidum morum censorem haberent, alii ordines Monachorum instituti sunt. Sed illi regulis Benedicti neglectis, in pejora prolapsi, dissolute ac impie vixerunt.

§. 23. Cum tandem nulli prope Monachi frugi essent Seculo X, Odon apud Cluniacum Abbas, Cluniacensium ordinem, regulam Benedicti cum auctario tenens, restauravit. Circa initium Seculi XIII, instituti sunt certi ordines Monachorum Mendicantium, qui voto promittunt, se ex Eleemosynis piorum vivere, nihilque proprii possidere velle, ad exemplum pauperum ostiarum mendicantium. Qui sunt Dominicani seu Prædicatorum ordo, Franciscani seu Minoritæ Reformati die *Barfusser*/humilitatis studiosissimi, Autore Francisco Iralo Afusinate, & Augustinenses, vel potius *Gvillheltita*, qui initio
B
Parisius

Parisis cœnobium mendicantium extruxerunt, atricolore vestitu-
utentes, quo ridiculo habitu haud usum fuisse Augustinum, ex *Possi-*
donio in ejus vita notum est. Denique Carmelitæ, ab iis orti, qui
circa Carmelum montem olim Sacra tractarunt. Hi omnes initio
probe & modeste vixerunt, paulatim vero exorbitare more Benedi-
ctinorum cœperunt. Debemus Monachis his restaurationem erudi-
tionis Philosophiæ & Theologiæ Scholasticæ, ubi in mediam Theo-
logiam totus receptus est Aristoteles, & ita receptus, ut hujus auto-
ritas penè sanctior sit, quam Christi: Et exploditur ilico, qui vel le-
viter ausit Aristotelis oraculis refragari, ut verè notat *Erasmus in Ada-*
gio: dulce bellum in expertis.

§. 24. Inter totius Germaniæ Monachos hoc est discriminis:
quod alii sint non mendicantes, alii mendicantes, qui nunquam sta-
tibus Imperii admiscuntur, cum careant omnibus bonis. Ex non
Mendicantibus, quales sunt Benedictini, Cistercienses, Præmon-
stratenses imp Archiepiscopi, Episcopi, Abbates &c. cõstitui possunt,
Hidono acceperunt varia bona allodialia Cæsarium & Principum,
propter quas divitias etiam principes salutantur, & ad comitia Impe-
rii vocantur. Monetis non Cæsaris sed Episcopi imprimunt effigiem
(quam potestatem eudenda moneta Andegarum Abbatem Campi-
donensem a Carolo M. primum accepisse, fert *Bruschius de mon.*
Germ. fol. 29), ne amplius detur Cæsari quod est Cæsaris; sic con-
funditur Ecclesia cum Politia: Campidonensis Monasterii Abbas
ab Adriano Papa Anno 780, accepit ante meridiem sacra faciendi,
post meridiem autem, gladii potestatem, ad exercenda forensia & se-
cularia. Sed quid respondebitis futuro Judici, qui dixit, Reges gen-
tium dominantur, vos autem non sic? qui gladium sumit, gladio
peribit.

§. 25. Ne fisco Monastico quidquam subtrahatur, habent sin-
gula monasteria suos Advocatos, qui id agunt, ne reditus amplissi-
mi Cœnobiorum diminuuntur, & privilegia iis facta rectaque man-
eant, quos à Latinâ voce Vice-Dominos corrupte *Wisdomen* appel-
lant. Astute! ut se commodius contra quosvis defendere possent,
ipsos

ipfos Cæsares ac Principes suorum Monasteriorum Advocatos esse voluerunt. Idque sub hoc prætextu, ne quis de iis dicat, Clericos tractare secularia. Ita cuncta saltem speciem pietatis habent.

§. 26. Sicut clericis cujusvis amplissimæ Ecclesiæ præest Episcopus, ita Monasteriis præsidet unus, qui vulgo appellatur Abbas, à Justiniano & priscis scriptoribus Archimandrita & Cenobiarcha dictus. Is intra Monasterii sui septa præfectum quendam constituit, Priorem Claustralem, cujus vicariâ utitur operâ in iis quæ spectant ad sodalitatis gubernationem. Quia verò extra monasterium minores aliqui Conventus reperiuntur, ne illic latitantes pro lubitu exorbitent, his ab eodem Archimandrita Priores Conventuales præficiuntur. Reliqui in Monasteriis sunt inter se pares, nisi quod unus Cellarius, alii Janitor dicatur, quæ non est graduum, sed potius oneris & officii differentia.

§. 27. Temporibus Pauli Apostoli Diaconissæ munus in se suscipiebant, non nisi sexagenariæ viduæ *1. Tim. V. 9.* in quarum locum à Pontificiis postea substitutæ sunt Sanctimoniales Virgines Juventulæ; ita paulatim magis magisque à Veteris Ecclesiæ statutis recesserunt Pontificii. Vidua Marcella primæ est quæ Romæ vitam Monialium professa, pio zelo hoc vitæ genus in se suscepit, non ut nunc fit inter Papistas, ex vanâ meriti alicujus persuasione. In primis sæculis post Christum natum, ubi pii turbulentissimis persecutionum procellis exposci erant, nullis claustris seu monasteriis pudicæ Virgines inclusæ erant, sed domi apud parentes in Gynæceis se continebant, vacantes rebus domesticis & orationi. Nunc autem Pontificii virginum integritatem repagulis lapideis extorquere volunt. Quum tamen ea demum sit religio accepta Deo, non quæ vindicatur, sed quæ ultrò à volentibus offertur, ut congruè dixit *Erasmus Roterodamus in Hieron. vii. a.* Quæ fuerit à Sec. IV. illarum vivendi ratio apparet ex *lib. de Virginitate Athanasii; Et Ambrosii lib. 1. de Virginibus.* Hodie quodvis claustrum Moniale sua habet jura & statuta, in pectore alicujus superstitiosi religiosi enutrita. Notum quoque est, eas mox tonderi contra Apostoli assertum *1. Cor. XI. 6.*

& præter omnem necessitatem, cum hæ Virgines non nisi velatæ in monasteriis perpetuò incedant. Ab Ægyptiis & Vestalibus Romanis Sanctis Virginibus id procul dubio dedicerunt, quæ non nisi rasæ suis factis diis sistebantur. Riturum consecrandi Sanctimoniales consignavit *Hospin. p. 123.* In his Monasteriis Virginum, Abbatissæ directorium habent, Moniales nulli voto adstringuntur, priusquam probationis annum expleverint. Ut sint immunes à Diaboli insidiis, confessionibus & singulis mensibus communicatione Euchariæ armari debent; nam non utuntur S. Cœnâ ad peccatorum condonationem, quia adeo sanctæ proclamantur, ut & suis operibus aliis adhuc peccatorum condonationem promereri possint. Ad munus confessionarii monialium se multi carnales Religiosi ultrò offerunt. Imperator Justinianus hujusmodi Monialium Visitatores & Confessores Eunuchos esse (si tales reperiri possent) voluit; sin minus, saltem usque adeo senes & annosos, ut vel suæ grandævæ ætatis testimonio castitatem colere, credi possint. De modernâ vita claustralium *Gerson Cancell. Parisiensis pontificius, Tract. de Defect. Eccles.* pronunciat: Claustra Monialium esse prostibula meretricum. Et *Palingenius Zodia. vitæ l. 9.* Mystæ vafriq; cuculli, quos castos decet esse, palam cum pellicibus vel furtim cum pueris, matronis virginibusque nocte dieque cubant.

§. 28. *Gratianus causa 16. q. 1. can. Hinc est etiam S. Monachos,* usque ad tempus Eusebii, Zosimi, & Syricii Monachos simpliciter Monachos, & non clericos fuisse, clarè pronunciat. Item *S. Superiori auctorit.* legimus Anno 390. Syricium Papam I. Episcopum Romanum in ordine quadragesimum, primum Monachos lege canonizasse i. e. in tribus clericorum recepisse, ad publicas habendas conciones, Sacramentorum administrationem, confessiones audiendas, & ad capescendum Episcopatum, cum antea in Laicorum numerum essent habiti, juxta *Hieron.* qui scribit, Monachum non doctoris, sed plangentis officium habere. Quamvis concedam nonnullos pios & eruditos Monachos, jam olim quandoque ad Ecclesiastica munia subeunda vocatos & adhibitos fuisse. Non verò quatenus Monachi, eatenus quoq; clerici simul fuerunt, certum n. est, monasteria non nisi Ecclesiæ seminaria fuisse.

§. 29.

§. 29. Jesuitæ à JESU nomine se appellarunt Anno 1555. confirmata hæc Societas est à Paulo V. Jactarunt ab initio se athletas novos, qui jam fatiscenti laceraeq; fidei Christianæ, & Ecclesiæ laboranti succurrerent. In conventu Possiaceno, nomine totius Ecclesiæ Gallicanæ Anno 1561. d. 15. Decemb. illis interdictum, ut ab appellatione Jesu Jesuitæ prorsus abstinerent. *Thuanus lib. 35. fol. 735.* vult ab illo tempore Claremontanæ Scholæ sodales eos vocatos fuisse, à Scholâ sc. quam iis assignarat Wilhelmus Pratenfis Episcopus Claremontanus. Quid multa dicam? Nomen Jesu habent, & ore Diaboli sæpè loquuntur.

§. 30. Quod tria solennia Monachorum vota attinet, Castitatis sc. Paupertatis, & Obedientiæ; ne quid dicam de Voto missionis Monachorum quatuor votorum sc. domus professæ & aliis particularibus Votis cujusque ordinis; illa simpliciter approbari haud possunt. Sunt enim absq; S. Scriptura introducta, ad aliquid apud Deum promerendum. Quis autem ignorat in legitimis votis hæc tria notari debere 1. DEUS, cui votum nuncupatur, huic verò nihil acceptum esse potest, quod in absolutissimo suo verbo haud expresserit; huic omnis *idolo* *Idoloneia* sc. electitius cultus displicet. Pontificii diffiulter probabunt, hæc illorum vota à Deo in verbo suo mandata fuisse. Frustra E. ipsum colunt mandatis hominum. *Chrysof. orat. 1. contra Judæos.* Quicquid fit juxta verbum ac voluntatem DEI, quamvis videatur stultum esse, tamen omnino Deo gratum est & acceptum: contra vero quod fit præter voluntatem Dei ac verbum, ac secus quam ille vult fieri, quanquam existimatur acceptum DEO; tamen est omnino pessimum. 2. HOMINES, qui vota vovent; sed vovens, quod non est suarum virium, temerarius est, & tentat Deum, dum naturæ vim inferre audacter audet; imò multi juvenes ante pubertatis annos à religiosis parentibus ad hæc solvenda vota claustris monasticis includuntur ac obtruduntur. In hoc passu haud absimiles sunt sicariis *Act. 23. 12.* 3. FINIS ac INTENTIO; omnia in Dei gloriam dirigi debent. Sed superstitionis Monachi his multa, sibi aliisq; lucrari cupiunt. Cum ita se res habeat, sciant Monachi, hæc vera vota dici haud posse, & male promissa rescindi debere, qui enim male promissa servat, bis peccat juxta vulgaria.

§. 31. Qui voto paupertatis Monasticae, quasi vim merendi & satisfaciendi habeat, se obstrinxerunt, illud Salomonis *Prov. 30. 8.* orare nequeunt: Mendicitatem ne dederis mihi. Qui votum regulare, Obedientiae solverunt, praeter Christum alium religionis Magistrum elegerunt, *Matth. 23. 8.* Et obedientiam Deo ac parentibus debitam negligunt, nam impensius student regulis & praescriptis humanis, & contra IV. Praeceptum patrium jugum excutiunt, ut saltem placeant sui ordinis hominibus. Qui adacti ad votum Continentiae, in os contradicunt Paulo *1. Tim. 5. v. 14.* ubi juniores ut nubant & rem domesticam curent, monentur. *Ambrosius in explic. Verborum, despondi vos qui viro &c.* scribit: Apostoli omnes praeter Johannem & Paulum habuerunt uxores. Nec vocati ad Apostolatam eas reliquerunt, quod iis, etsi voluissent, non licuit, nisi intercesserit adulterium juxta Christi legem. Imo Christus hortatur, ne homo separet, quos Deus conjunxit. Transeant *Hospin. de Monachis p. 28. a.* argumenta, quibus probat ex *Phil. IV. v. 3.* vocibus τῆς γυναικὸς συζύγου, Paulum quoque fuisse mansisseque uxoratum. Sed his non attentis, eo usque demum excrevit superstitio, ut Innocentius I. Sanctimonialibus, si voto praestito viro nupissent, illas excommunicaret, ita ut nulla eis concedatur poenitentia s. communio per totam vitam: Idem post repetitum in var. is conciliis orbis Papalis oecumenicis sic arroganter dictis. In aliis peccatis facile dispensant, unicum autem Virginitatis promissum, quod Christus & Paulus liberam reliquerunt, illi inviolatam haberi volunt. Etiam si conjugium sanctificationem potius quam pollutionem inducat; In sacris enim dicitur infidelem conjugem a fidele marito sanctificari & vice versa. Hoc non obstante, ab hoc illorum Sacramento arcent suos. Et quidem meo arbitratu hanc potissimum ob causam, ne dum Clerici uxorati essent, prognati eorum liberi, fiscum Ecclesiasticum tandem exhaurirent. Imo usque a deo conjugium dissvadent clerici, ut in *Antisiodorensi Synodo cap. 24.* statutum fuerit, Monachos ab omnibus Nuptiarum solemnitatibus abstinere debere. Et *Gratianus monuerit dist. 18 q. 2. pervenit*: Monachos infantes ex Baptismo suscipere haud posse. Causa ejus in Glossa haec reperitur, ne nimia, hac occasione, a Monachis contrahatur familiaritas cum Laicis, & praesertim cum Mulieribus.

Conclu-


Concludimus cum his *Polydori Virgilii de Invent. l. 7. c. 8. verbis.*
Conducibile esset hanc hominum feces abscindere, cremare, ne suis
sordibus cultus divini nitorem diutius conspurcarent.

Ex hac & jam ante à me habitis publicis disputationibus de Ro-
mano Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, ac Diaconis ad minimum
patet, quibus cum fraudibus & astutiis ad tantum culmen honoris
evehctus fuerit Clerus Romanus, & quam parum Hierarchia ipsorum
à prudentissima splendidissima alicujus Reipublicæ forma discreper.
Humanâ arte ac potentia hoc regnum terrenum Papale vix quis-
quam evertet, sed Rex Gloriæ, qui gloriam suam alteri non conce-
dit, tandem ferro suo sceptro hos Hierarchicos confringer, & de
folio deturbabit, sicut jam ejus variis in terris ac regnis initium fa-
ctum est. Et S. Johannes in Spiritu prædixit *Apoc. c. XVIII. v. 1.* Vidi
Angelum descendentem è cœlo clamantem voce magna, Cecidit,
cecidit Babylon illa magna, & facta est domicilium Dæmoniorum
v. 9. & 10. Tunc flebunt & plangent super ea Reges, qui cum illâ scor-
tati sunt, quum viderint famam incendii ejus, dicentes Vah, Vah,
magna illa Urbs Babylon Urbs illa septicollis valida, una hora venit
judicium suum. AMEN.

Ne detur vacuum, quædam in calce Disp. de CANONICIS,
citra ejusq; præjudicium, adjiciemus. Dicuntur, Canonici à canone
s. regula, quia communem quandam regulam vitæ observabant: un-
de canonicè vivere dicebantur illi, qui juxta præscriptam regulam vi-
tam transigebant. Hæc sensu in Novella LIX. cap. 3. & 4to quædam
mulieres reverendissimæ Canonicæ dicuntur. Alii eos à canone s.
certa pensione & stipendio dictos contendunt, unde canonica por-
tio nomen acceperit. Canonicorum collegia habent suos præfectos
Decanos dictos. Ecclesiis amplissimis adjuncti erant Canonici, idq;
ex prima institutione S. Augustini Sec. V. qui Collegium Canonicor-
um instituerat Hypponæ, ubi vitam Monachalem certi quidam age-
bant, juxta Canones præscriptos ab Augustino, hi habebant commu-
ne dormitorium ac præparatorium. Hujus institutum mox secuti
sunt alii. Nec Academia nostræ iis multum sunt absimiles, quæ etiam
Decanos, Lectores &c. habent; quod membrana vetustæ multo-
rum Canonicorum capitulorum loquuntur. Sicuti cuncta in dererius
ruunt,

ruunt, ita & Canonici Ecclesiarum Cathedralium ditiores facti, cr-
itas præ aliis Clericis erigere cœperunt, temporibus potissimum Or-
tonis II. teste Trithemio ad An. 977. Regnante Ortone III. magis ad-
huc secesserunt à canone Augustini, insolentius ac splendidius vix-
erunt. Inprimis verò potestas & luxus eorum Seculo XIII. initium
sumsit à Gregorii IX. concessione, qui Episcoporum electionem fecit
Juris Canonorum, quam electionem vocant Canonicam. Cum
tn. olim canonica erat electio, quæ à Clero & plebe fiebat. Nunc hi
Canonici, Electores & qf. Domini Episcopatuum facti mox Episco-
pauum divitias circumciderunt & capitulationes fecerunt, quibus
cum conditionibus in posterum Episcopos eligere vellent. Quis no-
biscum non affirmabit pleraque modernorum Canonicorum bona
esse spolia Episcoporum? Religio ubi peperit divitias, paulatim
filia devoravit matrem. Cum Sec. XIII. Bremæ & Spiræ Nemed. cœ-
nobii illorum conflagrarentur, destituti peculiari ædificio, Canonici
sparsim inter cives habitare cœperunt. Sic liberiori aëri expositi, libe-
rius iusto vixerunt, aliisque ad parilem dissolutam vitam, extra cœno-
bia trāsīgendam ansam dederunt. Verum cum hæc *avaritia* displice-
ret bonis, Hi Canonici in fraudem legis, de amplissimis Ecclesiæ re-
ditibus vix decimam partem certis Canonicis, regularibus dictis,
(qf. diversa esset utriusq; vocis significatio,) deputarunt, qui illorum
nomine sacra tractarent juxta præscriptam regulam; Ipsiq; Canonici
seculares s. irregulares (quæ est contradictio in adjecto) salutari ma-
luerunt, solum adhuc in choro, tanquam Chori Domini s. Chor-
Herren statis horis multis ignota cantillant, & nonnullas latinæ pre-
ces demurmurant. Et tunc egregie suo munere se perfunctos arbi-
trantur. Ad hæc & alia obstupescit Alb. Cranzius Metrop. l. 3. c. 15.
& l. 7. c. 50. Qui talem Canonicum secularem vocat Monstrum
sine exemplo: regularem sine regula: Canonicum
sine Canone.





hinc novus Propheta omnia ex
cuiquam suum vitæ genus incul-
rum singularem vitam promovi

§. 9. Primus inter Eremitas
mo in ejus vitâ. & Sabell. l. 2. c.
cimi annorum eremum introiisse
tidie dimidium panem adferen-
mortaliū præter Antonium ne-
no ætatis centesimo decimo tercio
ræ demandavit. Hunc mox al-
pio zelo, quo sine impedimento
id fecerunt, ut philosophicis co-
accuratius. Tandem aliis hoc vitæ
aliis, ut saltem sibi soli vivere p-

§. 10. *Sozom. l. 1. c. 12.* recte
in abdita secessisse loca multos,
solitaria vitæ, ibi permanserunt
gente fecerunt ac instituerunt, h-
dinem verterunt. Omitto qui
cesserunt, quo pertinet proverbium
vel Monachum.

§. 11. Sciant Religiosorum
genere declarare, quam agrè pro-
potuerint vel possint. Eos nec u-
lia vitia nonnullos Eremitas tan-
stomus l. 1. de dignit. Sacerd. San-
bus & ludibriis dæmonum exp-
commodius quaratur. Unde &
& sine socio, nominavit Dæmo-
ad Dei vocem; Non est bonum
lignâ civitate fuit justus, in mon-
Canonicus scriptor *cap. 40.* M-
quam unum solum. Et *Eccl. 1. c.*
&c. Qui plura incommoda vitæ
tō ad Scriptores pontificios, id
rez de paz de vita spirit. l. 2. c. 24.
in reg. 43. Societ. Jesu.

Johanne fuerunt, nec
haud possum, *Esse*
m.

hebaus, teste *Hierony-*
cum puerum quinde-
nei per 60. annos quo-
um fuisse, nec ullum
brevis ante mortem, an-
ui mortuum matri ter-
tyrannorum metu, sed
ia seruari possent. Alii
us vacarent in silentio
propter *καταλογίαν*,

tribus persecutionum
secutione, assueti huic
ui initione necessitate ur-
legem & conserva-
re in solitudines con-
atio facit vel militem

atroni. Eos hoc vitæ
quid incommodi ferre
nis ac Ecclesiæ. Qua-
commemoratur *Chryso-*
stomus miser tentationi-
um ut ubi vita æterna
nis religiosum solum
Attendant potius
solum. Loth in ma-
tic *Syrach*, Pontificiis
s. conjunctos vivere,
si si namq; ceciderit
te cupit, eum remitte-
tes, quales sunt *Alva-*
renicus comm. Asierico
§. 12. Sanè

